



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum  
theologiae scholasticae tomus ...**

**Rhodes, Georges de**

**Lugduni, 1661**

Sectio I. De perfectione naturali substantiæ Angelicæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

# THEOLOGIAE SCHOLASTICAE. TRACTATUS II.

DE CREATURIS SPIRITVALIBVS COMPLETIS.  
DISPUTATIONES THEOLOGICAE.

*In primam partem S. Thomas, à quaest. 50. ad 64.*



ACTENVS considerauit Theologus Deum in se ipso, immensamque lucem caligantibus inspexit oculis intra nebulam & caliginem: nunc ad opera eius transit, in quibus, tanquam in speculis temperatum, & quasi refractum eiusdem radij splendorem excipiat, videatque totum solem in aquae guttulis benignius emicantem (vt ait Nazianzenus orat. 2. de Theologia: Nec enim recedit à Deo, cum ad res ab eo productas descendit, in quibus prima Dei species perspicue latet, in ipsis impressa vt in sigillis, expressa vt in speculis, effusa vt in radijs. Hoc ergo habet propositum S. Thomas à quaestione 44. vsque ad finem primae partis vt inspecto Deo, praecipua inspiciat eius opera: mihi verò satis nunc erit, de substantijs spiritualibus dicere, vt potero breuissime, quia eas prima lumina, prima signacula, prima specula, & primarios effusae Deitatis defluxus communiter vocant sancti Patres, quia in eis se ipsum Deus, & expressit clariùs, & signauit perenniùs, & suauius pinxit, & vberius effudit. Consideratio verò illa substantiarum Angelicarum bipartita erit. Primò enim eas considero intra ordinem naturae. Secundò, intra ordinem gratiae.



## DISPUTATIO PRIMA.

*De Perfectione Angelorum intra ordinem naturae.  
S. Thomas, à q. 50. ad 60.*

Partitio  
disputatio-  
nis.



QVATVOR sunt ni fallor in quibus tota naturalis Angelorum perfectio consistere videtur. Primum sit, Angelica ipsa substantia. Secundum, potentia intellectiua. Tertium, potentia appetitiua. Quartum, potentia motrix, & operatrix ad extra.

### QVÆSTIO I.

*De perfectione naturali substantia Angelica.  
S. Thomas, q. 50. 51. 52. 53.*

VT ergo cœlestem omnem rempublicam, & spiritualium in ea ciuium cœtus, dignitatem, ordines, facultates, operationes sigillatim scrutemur, placet ordiri ab ipsa eorum substantia & de illa dicere quatuor. Primò, Angelorum existentiam, seu an sint

*Tom. I.*

Angeli. Secundò, prædicata eorum essentialia, siue quid sint. Tertio, distinctionem tum specificam tum numericam, siue quot sint. Quarto, Extensionem substantiarum Angelicarum ad locum.

### SECTIO I.

*De existentia substantiarum Angelicarum.*

CERTUM est primò, nomine ( Angelorum ) significari communiter substantias completas, creatas, omnino spirituales, præstantiores homine, solo Deo inferiores: *Quærit nomen huius naturæ* ( inquit August. in Psal. 103. *spiritus est, quærit officium Angelus est.* Nomen quippe ( Angeli ) naturæ nomen non est, sed officij vt cum Augustino reliqui notant Patres, ideòque datum in scriptura est illis omnibus, qui ex officio diuina nunciant. Qualis apud Isaiam est Christus magni Concilij Angelus, apud Malachiam Ioannes Baptista, Angelus testamenti: omnes demum prædicatores qui annunciant gaudia regni Dei Angelos vocari docet Ambrosius, *Ite Angeli veloces.* Sed hoc tamen nomen communius vsurpatur ad significandas ( vt dixi ) substantias purè spirituales iuxta scripturæ Phrasim, *Qui facis Angelos tuos spiritus.* id est qui substantias spirituales, nuncios tuos facis.

Nomen  
Angelorū.

Dd 2

Certum

Cogniti ab  
Ethnicis.

Certum est secundò, fuisse ferè neminem inter antiquos omnes Philosophos qui non agnouerit dari substantias huiusmodi expertes materia, subtiles, agiles, incorporeas. Primum enim illas agnouit sine dubio pluribus in locis Plato, vocatque illos *Deos inferiores & demones*, vt notant Cyprianus, Minucius & alij Patres: ex Platonis autem Doctrina pluribus mixta fabulis, sua somnia deriuarunt Valentinus, Menander, Saturnius, Cerinthus, Carpocias aliique nominum monstra testibus Irenæo, & Tertulliano. Deinde substantias etiam istas agnouit Thales apud Athenagoram in Apologia pro Christianis; diuidit enim superiores substantias in Deum, demones, & Heroas, id est animas separatas. Pythagoras in carminibus aureis mundanos, & immortales celebrat Deos. Aristoteles admittit eas quas propriissimo nomine appellat intelligentias, eo quod purissimæ mentes sint. Vt videas vix vllum fuisse, cui persuasum non fuerit dari aliquos spiritus, de quorum existentia vt dicam. Primò, videndum est an sint Angeli. Secundò, qualis fuerit eorum productio.

## §. I.

*Utrum sint producti à Deo aliqui Angeli.*Negati ab  
hæreticis.

**N**egarunt dari Angelos iam olim Sadducæi & Samaritani, nunc etiam vocant in dubium Semiathæi, quibus haud satis persuasum est dari spiritus absolutos ab omni concreione corporis, quæ fuit insania Coppini cuiusdam & Quintini apud Belarm. l. 2. de amissione gratiæ c. 1.

Triplex  
dubitatio.

Ratio verò dubitandi esse primò potest, quia si creati sunt à Deo spiritus illi nobilissimi, & purissimi, non debuit tacere scriptura illorum creationem, cum aliarum omnium rerum minus nobilium referat productionem.

Secundò, si existunt Angeli potest ratio naturalis vel à priori, vel à posteriori demonstrare illorum existentiam; à priori quidem, quia sine illis imperfectum esset vniuersum: à posteriori vel ex motu cælorum, vel ex magicis incantationibus, vel ex miraculosis effectibus quos sæpè cernimus, illa superant vim omnem corporeorum agentium & non possunt tribui animabus separatis quarum virtus non est maior quam cum erant vnitæ corpori.

Tertiò, si existunt huiusmodi substantiæ potest à nobis formari proprius earum conceptus non negatiuus solum, sed positiuus; sunt enim entia finita quæ comprehendere ab homine possunt. Est autem impossibile formari à nobis proprium conceptum harum substantiarum, ergo probabilius est illas nullas esse.

**A**ssertio. Dicendum tamen primò est, quod certissimè fides docet dari substantias spirituales completas, Deo inferiores, superiores homine: naturalis autem ratio id non demonstrat sed probabiliter tantum suadet.

**Fides.** Prima pars, quod ex fide constantissimè tenendum sit dari Angelos probari potest ex scripturis, ex Concilijs, ex Patribus, quod præstiterunt copiosè Suarez, Valentia, Vasques. Quis enim nescit Euam seductam esse à serpente, qui non poterat esse nisi Angelus: Quis Cherubinum constitutum cum flammeo gladio ad paradisi aditum prohibendum: Seraphinos videt Isaias ante thronum Dei, currum gloriæ illius videt Ezechiel trahi à Cherubinis, Gabriël, Daniël reuelat mysteria Raphaël, Tobiam deducit & reducit, pugnat Angelus cum Iacob, Zachariæ demonstrat renouatam Ierusalem, & extructum templum. In nouo Testamento Incarnationem Angelus nunciat Mariæ: Iosephum edocet grauidam esse Dei Matrem ex Spiritu Sancto: canunt Angeli nato Christo. Ministrat ieiunanti post tentationem, confortant moriturum, resurgentem nunciant mulieribus. Quid?

plura operatur omnipotens omnia per Angelos in vtroque testamento, vt nihil opus esse videatur adducere huc Concilia in quibus damnantur errores contrarij Angelis. Neque sanctos Patres præsertim Dionysium qui totam describit Hierarchias, ordines digerit, officia explicat sicut ab Apostolo erat edoctus à quo totam cælestium doctrinam hauserat, unde hoc vno argumento sufficienter conuelliatur dubitantium Semiathæorum stulticia, qui Angelos ne apertè videantur negare subdole impugnant.

Secunda pars, negat id esse demonstrabile ratione naturali, neque videtur melius probari posse quam ostendendo rationes omnes quæ vulgò solent afferri probabiles duntaxat esse, non demonstratiuas; sumuntur autem posissimæ ex effectibus nonnullis quos experimur aded mirabiles, vt nulli alteri causæ tribui possint nisi Angelis, nam à priori certum est id probari nullo modo posse, cum enim Angelus non sit suum esse, sed ens purè contingens, quod potest esse si Deus velit, non esse si Deus nolit, non potest probari eius existentia per vllam causam necessariò connexam quæ vt patet nulla esse potest.

Ratio  
naturalis.

Primus igitur effectus sensibilis quem contendunt multi non posse tribui nisi Angelo est cælorum motus, tam velox, tam æquabilis, & perpetuus, vt non possit esse ab agente vllò corporeo; si enim orbium cælestium consideretur immensa moles, si motus pernicitas, si definitæ periodi stationes, retrogradationes, statuer perfectò quilibet, opus illud esse naturæ incorporeæ, ac perfectæ intelligentis, vt rectè concludit Philosophus 8. physic. & 12. Metaphysicæ. Hic enim motus non potest esse à Deo nisi velis alios etiam naturales effectus v. gr. motum elementorum, & generationes mixtorum ipsi etiam Deo tribuere: Sed neque à propria etiam forma est ille motus, vt cum Valesio docent recentiores quidam Philosophi, quia proprius character vitæ creatæ quo nimirum viuentia distinguuntur à non viuentibus est mouere se ipsū in proprio loco. Denique animabus etiam separatis motus ille tribui non debet, quia illæ tantam vim non habent vt tanta corpora tam velociter, & tam definitè, tanto tempore conuertant, ergo solis intelligentijs tribuitur necessariò hic motus.

Motus  
cælorum.

Hæc ratio probabilis est, sed sanè non existimauerim illam conuincere quod intenditur.

Primò quia, non improbabiler multis visum est cum Lessio, motum illum syderum aded esse mirabilem, vt superet etiam vim Angelicam, neque posse aliam eius causam assignari nisi Deum, ad quem referendi necessariò sunt effectus, qui totius naturæ creatæ vim omnem superant, qualem existimant esse istum quod etiam de primo mobili existimatum est à Philosopho.

Secundò, qui ad animas separatas vnā aut plures reuocaret hunc motum cæli, vix posset conuincere, quia certum est animas separatas à corpore plura posse, quam cum sunt vnitæ corpori, & in operationibus suis pendunt ab organo, vt dicitur statim.

Secundus effectus ex quo Angeli probantur à Vasque, Valentia, Thyraeo, Arrubale, ducitur ex his operibus quæ fieri apparet ab Emergumenis, & manifestè conuincunt esse in illis habitatorem spiritum, qui eorum omnium sit author.

Operatio-  
nes emergu-  
menorum.

Primò enim, varijs, & peregrinis loquuntur linguis, secundò secretas cogitationes reuelant & annunciant ea quæ procul sunt, tertio mouent immensa pondera, & alia faciunt mirabilia, quæ neque tribui Deo possunt, cum plena sæpè sint blasphemijs, & periurijs: Neque satis videntur sapere, qui putant causam illorum omnium esse posse melancholiam vt censent Leuius, Syrenius, Erasim. Pompon. Cardan. Caluin. & omnes Athei. Quomodo enim melancholia rusticum?

rusticum, aut mulierculam, peregrinum idioma edocere poterit, aut notitiam eorum quæ longè distant ut rectè argumentatur Fernelius l. 2. de abditis rerum causis, & Loierius lib. 2. de spectris cap. 8. sed neque minus illi errare videntur, qui eos effectus lunæ vel astris attribuunt cum Iulio Firmico lib. 8. astronom. quod nullà eget refutatione, nunquid enim luna potest infundere nouas species, ad ignota idiomatica, & res distitas cognoscendas, & efficere hominem ex ignaro Philosophum.

Hæc ratiocinatio prorsus conuincit dari spiritus aliquos, quod Athei negant, sed nihil hic sanè video, quod fieri non possit ab animabus separatis, vna, vel pluribus; possunt enim illæ peregrinas callere linguas: possunt ex intuitu specierum quæ sunt in phantasia colligere secretas cogitationes, possunt brevissimo tempore magnum emetiri spatium terrarum, & referre quæ sunt in regionibus procul remotis. Fateor tamen hoc esse minus probabile: multoque verisimilius id tribui debere Angelis.

Magicæ  
operatio-  
nes.

Tertius effectus apparet in operationibus, & incantationibus magicis quas certè nemo negare potest esse mirabiles; Loquuntur enim articulatè aliquando humanà voce, Canes, & Corui vt de Cane Simonis Magi refert Nicephorus lib. 2. cap. 27. & de Coruo in Austria loquente memorat Sybillanus, Decade 3. c. 5. Imò etiam statuas sæpè loquutas esse conuincitur ex antiquioribus oraculis: quæ certè negari à nemine possunt: & ne recurrere liceat ad animas separatas; excitantur à Magis nymbi, grandines, niues, tempestates in terra, & mari, infertur sterilitas campis, inducuntur morbi tum priuati, tum epidemici, quæ referri ad Deum nequeunt, quia sunt ob malos fines: neque animabus separatis etiam si earum innumeras myriades confingas: quia licet earum cognitio liquidior fortasse sit extra corpus, & perfectior quàm in corpore, vis tamen actiua neque maior est, neque extensior quàm in corpore, quia nullius formæ operatio impediri potest à proprio subiecto, alioqui vnio cum subiecto connaturali efficeret illam imperfectionem, cum tamen illa sit summa ipsius perfectio. Certum autem est, quod nulli homines, etiam si quotquot in mundo sunt nunc conueniant, possunt excitare grandinem, aut ventum, ergo solis intelligentijs hic effectus tribui potest.

Hæc probatio quatenus attingit tempestates, aut grandines, aliæque huiusmodi meteora, videtur esse omnium optima, & demonstratiua si semel probari possit, quod vis actiua ipsarum animarum extra corpus non est maior quàm in corpore; Quia nulla forma potest in operando impediri à proprio subiecto. Sed hoc difficile probatur, quia dici posset animam non per se, sed per accidens impediri posse à subiecto connaturali propter organorum imperfectionem, à quibus si non pendeat, multò plura, & perfectiora faciet opera.

Mundi  
perfectio.

Quartò, argumentantur S. Thomas l. 2. contra gentes c. 46. & 50. Guillelmus, Parisiensis secunda secunda de vniuerso cap. 1. 2. 3. Suares disputat. 35. Metaphys. sect. 1. vt mundus sit perfectus in suo esse, necesse est vt non desit ei gradus aliquis generalis creaturarum possibilium, alioqui vniuersum erit imperfectum, deerit enim illi aliquid, ad perfectionem eius maximè faciens: sed vnus ex illis gradibus est substantia creata purè spiritualis; primus enim & infimus est substantia purè corporea, cui opponitur substantia creata purè spiritualis, media inter illas est substantia spiritualis simul & corporea, supra illas autem omnes est substantia increata spiritualis, ergo sicut datur substantia purè corporea, & substantia partim spiritualis, partim corporea, sic dari debet substantia purè spiritualis.

Hæc ratiocinatio est probabilis, sed ei tamen responderi posset, imperfectum posse aliquid dici duobus modis; Primò positiuè, si desit ipsi aliquid debitum, verb. gr. si homini deesset intellectus: Secundò negatiuè, si desit ipsi aliquid indebitum. Erit sanè mundus imperfectus negatiuè si non detur substantia purè spiritualis, sed quia illa non ostenditur esse mundo debita, non ostenditur etiam quod mundus sit imperfectus positiuè, sicut non est positiuè imperfectus, quamuis plures species possibiles illi desint. Ostendendum igitur esset gradum omnem generalem entis esse debitum mundo, magis quàm gradum omnem specificum.

Solutio  
difficulta-  
tum.

Ad primam Resp. plures rationes excogitatas esse à doctoribus quare Deus noluerit creationem Angelorum narrari à Moysè, tunc cum totius mundi primam originem graphicè depinxit, mihi omnium videtur probabilissima esse, quia rudi, & sensibilibus addicto populo cui natales mundi scribebat Moyses, voluit consultissimè Deus, vt non proponerentur, nisi sensibilia, & corporea, per quæ cognoscibiliter ad Dei conditoris notitiam peruenire posset.

Ad secundam patet ex dictis, quod omnes illæ rationes quas attuli, sunt admodum probabiles sed nullo modo sunt demonstratiuæ.

Ad tertiam Resp. satis esse quod rei spiritualis formetur à nobis, qui sensui, & sensibilibus rebus addicti sumus, conceptus imperfectus & negatiuus, de quo diceretur sectione secundà.

## §. II.

### Qualis fuerit productio Angelorum.

Dixi productos esse Angelos à Deo, nunc modus productionis illorum exigit, vt dicam qualis fuerit actio productiua eorum, quando creati sint vel potuerint creari, & demùm quo in loco primum fuerint creati.

Ratio enim dubitandi primò est, quia eorum productio si est creatio à substantia eorum distincta, debet necessariò esse accidens, sed illa esse non potest accidens, nam omne accidens est in subiecto cui inhaeret, in illo autem priori quo creatio est prior Angelo producto, non apparet quodnam esse possit illius subiectum. Deinde quod est essentialiter tale, se ipso est tale, sed Angelus se ipso est dependens à Deo, ergo se ipso dependet, non autem per actionem superadditam. Denique illa non distinguuntur quæ nullo modo possunt separari, sed creatio non potest existere sine Angelo creato, & Angelus existere non potest sine creatione, ergo creatio Angeli, non est aliquid distinctum ab Angelo.

Creatio  
distincta.

Secundò, quod ad tempus creationis attinet, videtur omnino eam factam non esse in tempore, quia si potuerunt Angeli creari ab æterno nulla est ratio cur dicamus eos creatos fuisse in tempore, cum nec scriptura hoc doceat, neque ratio vlla probet, potuisse autem creari Angelos ab æterno probari potest, quia nullà ratione ostendi potest hoc implicare; non enim implicat ratione infinitatis. Quomodo? enim probabis implicare infinitum: Numeri enim omnes possibiles, & dies æternitatis à parte post sunt omnes obiectiue actu in mente Dei, & vt sic sunt infiniti actu, non enim sunt actu finiti, ergo possunt omnes fieri actu: nullo enim argumento euinci potest, quod sit impossibile infinitum actu produci, quo non probetur infinitum non posse actu à Deo cognosci. Similiter nullum argumentum probat implicare aliquid æternum à parte ante, quo non probetur implicare, vt aliquid sit æternum à parte post.

Creati ab  
æterno.

Tertio, quæcunque afferuntur ad probandam hanc implicantiã æquè pugnant contra æternitatem di-

uinarum processionum & actuum liberorum. Imò & contra durationem æternam Dei, quæ successiua est æquialenter.

Dico secundò, Angelos creatos non esse ab æterno, neque ante mundum corporeum, sed illo eodem temporis instanti quò cælum, & elementa creata sunt.

Tempus  
produ-  
ctionis.

Primò enim sic apertè habetur ex definitione Concilij Lateran. cap. firmiter, vbi dicitur Deum ab initio temporis vtramque condidisse creaturam spiritua-lem & corpoream, Angelicam scilicet, & mundanam, deinde verò humanam. Post quam Concilij apertam vocem, nullus est Catholicorum, quin hoc sentiat, tametsi pluribus antiquis Patribus visum sit Angelos aliquo tempore præcessisse mundum corporeum: sic enim sentiunt Basilus, Nazianz. Damasc. Theodoret. Chrysost. Cassian. & plures alij, qui sanè aliter sensissent, si audiuisent Ecclesiam loquentem. Imò vix apparet quomodo explicari aliter rectè possit, quod Gen. 1. dicitur: *In principio creauit Deus cælum & terram.* Si enim prius creati erant Angeli, certè cælum & terra creata non sunt à principio. Deinde satis probabiliter id colligitur ex eo quod tempus viæ Angelorum fuit breuissimum, cum ergo creati non fuerint diu ante mundum corporeum, certè multò videtur facilius dici posse, quod simul cum illo creati sunt.

Locus il-  
lus.

Dico tertio, esse probabilius Angelos in cælo aliquo sydereo creatos esse, si fuit conditum ab initio cælum vbi posita sunt quarto die sydera tametsi non sit improbable quod creati sint in cælo empyreo.

Primò enim, certum est Luciferum in cælo fuisse, quemadmodum à cælo decidit, iuxta illud: *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, ergo in eo creatus fuerat, quia decebat, inquit S. Thom. Ut in loco nobilissimo nobilissima conderetur creatura.* Imò ex Coloss. 1. id colligitur: *In ipso* (inquit Apostolus) *condita sunt vniuersa, in cælo & in terris, siue Throni siue Dominationes.* Vtrum autem in cælo ipso empyreo facta creatio illa fuerit, an in cælo sydereo, id est vbi postea facta sydera dubiū est inter Doctores, communior sententia docet cum S. Th. illos in empyreo cælo esse conditos, quia cælum illud solum tunc erat; cum secunda die factum ex aquis sit firmamentum, & cæli omnes syderei: alij tamen cum Suare verius putant, quod creati sunt in alio cælo quàm empyreo, quia dixit Lucifer: *Ascendam in cælum similis ero altissimo*; ergo ibi non erat: adde quod probabilius videtur sedem illam Dei, & ciuitatem sanctam nullo vnquam peccato violari debuisse. Neque vrget quod dicebatur cælos sydereos factos non esse nisi secunda mundi die, quia hoc multi valde probabiliter negant existimantes firmamentum illud factum secunda die aërem esse cuius secunda regio exceptura nubes, eà die firmata est, vt pluuiæ opportuna stillarent in terras, sed hæc omnia valde dubia sunt.

Creatio  
Angeli dif-  
fert ab eius  
substantia.

Ad primam Resp. actionem quæ producti sunt Angeli, fuisse sine dubio veram creationem de qua nihil hoc loco habeo dicere cum de hac in physicis plenè disputatum sit; constat enim ex ibi dictis illam omnino distingui modaliter à termino qui per eam producitur; quia potest immutato manente termino actio mutari, si Deus velit Angelum vnum instrumentaliter creari, ab altero Angelo; est autem accidens illa creatio, quia etiam si non habeat subiectum vllum inhaesionis quod præsupponat, habet tamen subiectum adhaesionis nempe terminum cuius est productio, & in eo vt termino verè adhæret, in illo instanti naturæ, quo creatio est prior suo termino; prioritas enim naturæ prioritas est à quo, non prioritas in quo. Hæc propositio quod est essentialiter tale se ipso est tale; distingui debet: quod enim est essentialiter tale vt ratio formalis talis, sine dubio est se ipso tale; visio, verbi gratiā, se ipsa est visio, actio

se ipsa dependet, vniò se ipsa vnitur non per aliam vnionem. Quod autem est essentialiter tale tanquam habens essentialiter rationem aliquam formalem, non est se ipso tale, nam creatura qualibet est essentialiter habens dependentiam aliquam, sed ipsa non est essentialiter ipsa dependentia; separari enim potest ab Angelo hac & hac dependentia sumpta distributiue, sed omnis dependentia separari non potest; si enim existit, aliquam necessariò habet dependentiam: sed hanc vel illam. Ad hoc autem vt aliqua distinguantur sufficit vt separari possint determinatè ac distributiue, non requiritur vt collectiue possint separari.

Ad secundam Resp. constare omnino ex Scriptura, & Concilio quod quamuis Angeli creati potuissent ab æterno, creati tamen sunt in tempore tametsi aliàs cum communiori Theologorum sententia prorsus negauerim esse possibilem creationem vllam ab æterno rei vel permanentis, vel successiue, & quidem de successiua facilius id ostenditur, quia si motus daretur ab æterno, in illo necesse esset vt partes posteriores esset ab æterno; nulla enim esset prima inter partes posteriores, sed implicat vt partes posteriores sint ab æterno; quod enim supponit essentialiter aliquid prius non est ab æterno, sed partes posteriores etiam collectiue sumptæ supponunt essentialiter aliquid prius; si enim sunt posteriores supponunt aliquid prius, ergo implicat vt partes posteriores sint ab æterno; alia omitto quæ alibi attuli. Neque minus efficaciter idem ostenditur de rebus permanentibus quod non possint esse ab æterno; si enim implicat moueri Angelum ab æterno implicat etiam Angelus, quia implicante proprietate, implicat id cuius est proprietates, est autem proprietates caloris posse successiue calefacere. Imò entis permanentis duratio est successiua saltem virtualiter, ergo si res successiua æterna implicat certè implicat permanens. Deinde si faceret Deus rem ab æterno dedisset illi durationem quantam dare potest maximam, in nullo autem genere facere Deus potest quantum potest facere, alioqui posset diuidere continuum quantum potest diuidere. Denique ne plura congeram sancti Patres probant Verbum non esse creaturam, seu ens dependens, quia est æternum, quod argumentum esset nullum, si ens ali- quod dependens esse posset ab æterno. Quod autem respondent nonnulli non satisfacit, sanctos videlicet Patres probare Verbum non esse creaturam, quia est ab æterno independentem. Sed hinc sequitur quod Patres probant independentiam Verbi, ex æternitate independenti, quæ nugatoria esset probatio.

Creatio  
Angeli  
non fuit  
æterna.

Fuit igitur Deus ab æterno potens creare in quolibet tempore non fuit potens creare ab æterno. Infinitum categorematicum implicat actu produci, diēs æternitatis, & partes continui prout obiectiue sunt actu in mente Dei, semper sunt infinitæ syncategorematicæ, quia Deus cognoscit illa omnia vt sunt in se ipsis possibilia, si omnia essent actu producta, vel diuisa, iam essent infinita categorematicæ: de æternitate à parte post, nego fieri posse argumenta quæ facta sunt de æternitate à parte ante, vt consideranti patebit.

Ad tertiam nego valere argumentum ab æternitate Dei qui est infinitus simpliciter ad creaturas quæ sunt entia finita.

## SECTIO II.

*Quanam sint predicata essentialia substantia Angelica, seu conceptus Angeli proprius.*

Non est dubium quin Angelus sit substantia, completa, finita, homine perfectior, substantiam esse constat ex proprietatibus, & operationibus quarum est fundamentum: esse completam, quia non ordinatur

ad